



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 130. Res Lusitaniæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

scopus eisdem sub regula S. Augustini ^{saecul. XV.}
 militantibus Constitutiones praescripsit; A.C. 1494.
 demum illae Anno Domini millesimo
 quingentesimo quinquagesimo voto intra
 claustra monasterii se continendi obstrin-
 gebantur, atque Anno millesimo quin-
 gentesimo septuagesimo secundo ad ve-
 terem S. Maglorii Ecclesiam translatae,
 ibidem vitam sancte, pieque hodieum
 exigunt. Sub idem ferme tempus Re-
 ligiosae Virgines, quas a Beatrice Sylva
 Virgine Lusitana sub invocatione Conce-
 ptionis B. V. Mariae Toleti institutas, at-
 que ab Innocentio VIII. Anno Incarna-
 tionis millesimo quadringentesimo octo-
 gesimo nono ad preces Isabellae Castella-
 nae Reginae approbatas memoravimus,
 mortua eorum Fundatrice Regulam Or-
 dinis Cisterciensis, quam primo profite-
 bantur, reliquerunt, ac S. Clarae ample-
 xae sunt, sub qua hucusque Deo con-
 stanter seruiunt.

§. CXXX.

Res Lusitanicae.

Diversis factionibus Lusitaniae Regnum
 agitantibus, Joannes Rex impen-
 dentia exinde mala veritus, vitae suae se-
 curitati opportune consulere statuit; un-
 de

Sæcul. XV.
A. C. 1494.

de duodecim Nobiles custodiæ suæ causa selegit, eisque Maynadum de Paco præfecit. His in mandatis datum, hastis armati palatii portam munirent, nemini arma aut etiam gladium gestanti aditum concederent. Præterea hujus Regis solertiæ in acceptis referimus, ab eo inventam esse artem navium cursum juxta solis altitudinem instituendi. Novi hujus inventi rudimentum ut magis magisque perficerent ac demum effectui darent, curam commisit Roderico, & Josepho Judæo suis Medicis, necnon cuidam Bohemo, nomine Martino, quondam Joannis de Monte regio celebris Astronomi discipulo; nec ingenio successus defuit; ars enim continuo usu comprobata invaluit.

Sub idem tempus, cum Maurorum agmen a Ferdinando Rege Catholico e regni sui finibus depulsum, Lusitaniam intraret, Joannes Rex illis transitum concessit, ea tamen lege, ut nonnisi octavum mensem ibidem hæerent, tributumque in singula capita impositum penderent: unde ingentem pecuniarum vim Joannes colligens, eandem ad id insumere decrevit, ut in Asiam trajiceret, & ditiones suas, quas ibidem possideret, contra hostium insultus tueretur; ast præmatura Regis mors

mors cuncta hæc consilia penitus e-
vertit.

Sæcul. XV.
A C. 1494.

§. CXXXI.

*Jus Africam occupandi Regibus
Catholicis a Papa concessum.*

Alexander Pontificiæ auctoritatis jura *Raynald ad*
firmare semper intentus, ad Ferdi- *hunc ann.*
nandum, atque Isabellam Breve Apосто- *num. 36.*
licum direxit; cum enim ea illius ævi *Lib. 3. Bul-*
credulitas esset, quod temporalium regno- *lar. secret.*
rum dominia Pontifici subesse censerentur, hinc etiam Papa iisdem Hispaniarum Regibus Africæ invadendæ, ac expugnandæ jus contulit, adeo, ut ea occupata ceteris regnorum suorum titulis Africanum adjicerent, addita tamen lege, ut Christianæ fidei cultum in Africa restituendum curarent. Datum est hoc diploma die tertia decima Februarii: Ut vero Reges Catholici in suscipienda expeditione facultatibus, atque viribus potenter adjuvarentur, Papa alterum promulgavit decretum hoc anno die duodecima Novembris editum, quo omnibus, qui ad promovendum hoc bellum vel arma sumerent, vel opes suas conferrent, ampla indulgentiarum præmia proposuit: Cum autem Alexander Papa nihil derogatum vellet juri, quod Lusitaniæ